

ria à Sanctis Patribus assertum est; cum utrumque illud confitetur, & deformem fuisse Servatorem, cui nihil erat ex lascivientis oris blanditiis, quæ carnales oculos rapiunt; vicissim autem formosus haberi poterat, si illis compararetur, qui sive à natura, sive casu aliquo fortuito aspectus deformitatem aliquam referunt. Utrumque legitimus in

Scriptura, & laudari Christum à ventositate & abhorruisse illum à nitore & pulchritudine. Psalmista speciosum præ filiis hominum commendat; Isaias despiciat & in glorium hominem inducit: *Ille sunt due tibia quasi diversè sonantes, sed unus spiritus ambas inflat*, ait Augustinus tract. 9. in Epist. 1. Joannis.

# IN JEREMIAM PROLEGOMENON.

à S. Clemens Alexandrinus lib. 1. Strom. hunc ipsum Helciam summum Sacerdotem credit, qui post inventum lectumque à se Librum Legis, deinde diem clausit. Consentiant Rabbinus, Paulus Burgensis, & Chaldaeus, nec abluant Sixtus Senensis, & Maldonatus. b Josue 21. 17. 18. c Hieron. in Prolog. & in Jerem. cap. 9. d Jerem. 1. 5. Antequam exires de vulva, sanctificavi te. e Jerem. 1. 6. Nescio loqui quia puer ego sum. f A. M. 3375.

**J**eremias Helciae (a) filius, è Sacerdotali genere oriundus erat ex Anathoth, vico Tribus Benjamin (b) tribus milliariibus à Jerusalem Orientem versis (c). Primam ætatis juventam agens ad munus Prophetæ vocatus est; cui destinatum se divinitus dicit, antequam in lucem ederetur (d); & cum Deum primò invitantem audivit, mandatumque ut acceptas à se veritates Regibus, Principibus, Sacerdotibus & populo Juda nunciaret, ætatis imbecillitatem, nec dum palam loquendo aptam, causatus fuit (e). Agebat tunc annum ætatis decimumquartum, cum Josias jam à decimo tertio anno in Juda regnaret (f). Susceptum munus habuit usque ad captam Jerosolymam. Quinque Lamentationum capita premente jam captivitate scripta sunt, saltem anno post captam Urbem A. M. 3417. In 2. Macchab. 2. sermo est de Commentariis Jeremiæ post destructionem Jerosolymæ scriptis. Oracula sua Jeremiæ scriptis mandare aggressus est primùm anno quarto Regni Joachim; voce enim tantummodò prolata antehac populo vaticinia tradebat. Rerum ab eo gestarum seriem digerere in præsentia ex ejus scriptis conabimur; consultique appositis in hac nostra Dissertatione, notis, intelligent Lectores, quis ordo chronologicus capitibus ejus prophetiæ statendus sit, & cujus potissimum Regis tempus præferant.

Cum Deus hunc virum ad ministerium evocasset, simul illi ea quæ à Judæis toleranda ipsi erant mala, sicut & Oraculorum omnium seriem ostendit. Vidit igitur Propheta virgam vigilantem, vel juxta plures Interpretes, virgam amygdalinam, qua nulla est floribus profertendis præcior, quo symbolo intelligeret Propheta quamprimum se à Deo in publicum producendum. Spectavit & ollam succensam igne de septentrionem exsufflato, ut imminuentia Judæ mala per Caldæos gentem septentrionalem intelligeret. Adjecit deinde Dominus, constituisse se virum illum in murum æneum, & in columnam ferream, ut contra Duces, Principes, & populum Juda nequicquam se opprimentes præret.

Mandatis dein (g) oneratus est, ut refractarium à Deo populum, Jerosolymam veniens, gravioribus verbis castigaret. Id autem Jeremias prolixo satis sermone exequutus est, quo post demonstratam amplioribus verbis Dei in populum suum charitatem, cum iter habentes per desertum Sinai, post excussum Ægyptiorum jugum, beneficiis illos prosequeretur; simul exprobrat scelera, pro illatis à Deo beneficiis à populo repensâ, novo planè, nec inter ipsos unquam Paganos spectato exemplo: plus enim, inquit, Numinibus suis deferre Paganos constat, quam Domino Judæos. Adjecit, frustra sperare illos in ope Ægyptiorum, à quibus nihil sibi spondendum, sicut nec ab Assyriis antea quidquam impetraverant. Tum Propheta verso orationis pondere in populum Juda, hortatur demum, siquidem malint, debitam criminibus suis ultionem per Caldæos imminentem evitent, lacrymis & poenitudine scelera eluant. A cap. 2. 1. usque ad cap. 3. 6. declamatorio stilo utitur; deinde ad Judicis gravitatem se componens, veluti sententiam pronunciat, simulque populum ad officium revocat.

Nec est planè quòd miremur, cur Jeremias pariter & Sophonias Prophetæ coævi vehementi aded oratione crimina Judæ sub Josiæ Regno prosequantur. Quanquam enim nemo esset eo Rege magis ad pietatem & probitatem factus; nihil tamen poterat corrigendis Judæorum moribus, quos vehementi aded excitemento decessores Reges, & Manassis potissimum exempla ad flagitia animaverant. Regnabat adhuc idololatria, & usque ad annum Josiæ 18. cum primùm Liber Legis repertus est (b), idolorum, Sacerdotum falsi Numinis, Divinorum colluvies totam Regni faciem deturpabat.

Regnante Josia jussus à Deo Propheta in ipsis Templi foribus accedentem populum prolixâ satis oratione allocutus est, ostendens nihil esse, cur tot criminibus implicati prosperum sibi aliquid à Templi sanctitate sponderent; cum maximè loci sancti religionem in speluncam latronum transformassent. Minatur Deus, eam se in Templum

g Cap. 1. & 2. & 3. & 4. & 5. & 6.

h Vide 4. Reg. 23. 4. & c.

plum ultionem exerturum, quam olim in Silo, nempe eo relicto abiturum. Tandem Jeremiam monet, ne precibus suis pro iniquissimo populo intercedat, qui nempe in tantum sceleris prorupisset, ut militiæ Cœli aliisque demum Numinibus externis cultum impendens, eorum prophana simulacra in ipso Templo consecrasset, & sacrificia, in valle Tophèth sub ipsis Urbis mœnibus immolasset. Scirent, se id commissurum, ut exhumatis cadaveribus Regum Juda, Sacerdotum, Principum, Prophetarum & populi, Urbem ad inconditam ruderum firmem redigeret. Neque in Judæam tantummodo Propheta gravis invehitur; sed in Ægyptum etiam, Iudumgam, Ammonitidem, & Arabiam. Denique sermonem cogens Propheta Judæos hortatur, ut abjectâ Idolorum vanitate, quam sub illorum oculis ponit, ad Deum revertantur, superfluis regionis Assyriorum copiis alioqui poenas daturi. Rogat ille verò Deum, ut furoris sui flagellum in exteris gentes excutiat, Judæis parcat.

In cap. 8. 13. sententiam lego, qua facilis ducitur conjectura, sermonem illum ad famem, per totam regionem sub Josia grassantem de qua apertissimè Joel cap. 1. & 2. & 3. spectare. Nec invitus suspicarer, minarum adversus impios & idololatrias partem exitum habuisse anno 18. Josiæ (i).

Triste legitimus Oraculum in cap. 11. quod terribili verborum apparatu exponendum in Urbibus Juda, & Jerusalem Deus Prophetæ commisit. Porrò Vaticinium illud Pæstum sive fœdus vocitatum est; facile quòd in memoriam revocet fœdus inter populum & Deum initum, cujus leges Judæ violaverant. Cum autem iniqui Viri Oracula ferrent cives Anathoth, patriæ ejusdem Prophetæ, ni defiteret, mortem minati sunt; quibus Propheta vicissim annuntiavit, illis necem imminere gladio simul & fame.

In cap. 12. gravibus ferre visus est Jeremias tum mala & persecutiones, quas à civibus Anathoth ipse tolerabat, tum etiam impiorum & infidelium felicitatem; cum vicissim fidelis Deo populus sterilitate & Cœli ariditate sub Josia affligeretur; eodemque spectant capita 14. & 15. Pathetico ibi stilo mala omnia Regni Juda describit Propheta. Vetat Deus ne Jeremias preces suas pro Juda interponat, quibus ne tunc quidem veniam indulgeret, cum à Moysè & Samuele adhuc in vivis agentibus rogaretur; aded sedebat Deo sententia, ut in urbem Jerusalem, criminum Manasse filii Ezechia Regis Juda ream, animadverteret (k). Idcirco in historia Regum observat Scriptor, nequidquam in contrarium adnitente Josiæ religione, adhuc tamen Deum, vindicem adversus Judam manum, criminibus Manasse iratum, non reduxisse. Hujus furoris pars erat dira famis, quæ per Regionem grassabatur; reliquis adhuc durioribus in futurum, cum scilicet captivus populus adducendus esset, reservatis.

Cujus sit temporis factum illud Propheticum, de quo cap. 13. nihil habens cum

i Vide Commentar.

k 4. Reg. 23. 26. Verumtamen non est aversus Dominus ab ira furoris sui magni, quo iratus est furor ejus contra Judam propter irrationes, quibus provocaverat eum Manasses.

cæteris omnibus connexionis, ambigimus. Jussus à Deo Propheta, cingulum quemdam in spelunca ad Euphratem occultavit, quò deinde se conferens putridum comperit; eodemque symbolo intellexit, rejectum à se Judam Deum in exitum abire permisisse, quem scilicet populum antea sibi veluti cingulum obstrinxerat. Sermonem deinde toto eo capite vertit Propheta monendis populis, ut resipiscentes ad Deum revertantur; simul addens minas de futuro Assyriorum flagello.

In capp. 16. & 17. cavet Deus, ne Propheta conjugio copuletur, & filios nutriti Jerosolymæ, neve committat, ut in domum ullam ingrediatur, ubi sive lecta instruantur convivia, sive funera luceantur, quasi mœstis solatium allaturus; id scilicet designans, omnem se sperandi ansam populo interclusisse.

Iniquis tristitia hæc Prophetæ Oracula accipientes populi, invisum sibi virum omnibus conviciis & injuriis aggressi sunt (l); cujus rei querelas cum ad Dominum ferret Propheta, mandatis oneratus est, ut pro foribus Templi, unde Reges aditum habebant, (facile pro foribus Aula) simul etiam pro foribus Urbis stans, coactum ibi populum hortaretur, ne Sabati religionem vestatione rerum extra urbem violarent; renuentesque morem gerebre minitatur severâ se ultione castigaturum, ac vicissim morigeros præmio donaturum.

Hæc series Oraculorum cum Josiæ Regno componendorum. Scita sunt, quæ de infelici religiosissimi illius Principis obitu narrantur 4. Regum 23. 32. in prælio nempe commisso cum Neacho Rege Ægypti ad Mageddo, gravi confossum vulnere interisse. Vacuum ejus solum habuit Sellum, alio nomine Joachaz inter filios Josiæ natu minimus, Princeps, si quis alius, nequissimus, de quo ibidem cap. 18. *Fecit malum coram Domino, juxta omnia, quæ fecerant patres ejus.* Ejus rei documentum exhibetur in his, quæ à Phassur passus est Jeremias, quæ sanè tanta sunt, ut non sub Josia piissimo Rege, sed sub ejus filio subsisse Prophetam credamus.

Interim jussus à Domino Jeremias (m) ad figuli officinam veniens, fictile vas in manu artificis observavit, quo, dum formaretur, fracto, ex eadem argilla alterum actum efformatum est; quo documento didicit Propheta, reprobati populi Juda loco alterum à Deo suscitandum. His omnibus grandis planè invidia in Jeremiam apud Judæos creata. Tum jussus ille à Deo, fictile alterum vas coram Senioribus (n) & Sacerdotibus assumptum in Vallem Ennôm contulit; ubi post recitatam tristitem futurorum malorum iliadem, vas coram omnibus, in symbolum imminentis exitii, confregit. Inde ad Templum ascendens palam denunciavit futurum, ut nihil ex his quæ prædixerat, pervicaciæ illorum merito, irritum caderet.

Hæc ingratis auribus accipientes Phassur Princeps Sacerdotum, Prophetam percussit, sta-

l Cap. 16. 13

Regnum Sel. lum. m Cap. 18.

n Cap. 19